

Εξέτασις Theologica

13

# Disputatio VI.

*opposita*

*Abominationi Pontificiae, in Loco,*

*De*

# BONIS OPE- RIBUS,

*In Collegio Privato,*

CHRISTO Servatore docente

& adjuvante

*Ad examinandum*

*proposita*

In Academia Lipsiensi

Die 21. Aprilis. Anno 1619.

*Præside*

T 162 (13)

M. THOMA WEINRICHIO,

Hirschbergense Silesio, SS. Theol, Baccal.

Diac. ad D. Nicol, ibid.

*Respondente*

ZACHARIA QVEISSERO, Boleslaviâ, Sil.

SS. Theologiæ Studiofo.

Lipsiæ,

Excudebat FRIDERICUS LANCKISCH.





*Amplissimis Spectatissimis & Pru-  
dentissimis*

**Dnn. Consulibus & Senatoribus**  
inclytæ Reipubl. Boleslaviensis Sile-  
siorum.

*Dominis suis fautoribus & Promotoribus æternùm  
honorandis.*

**Exercitium hoc Theologicum**


*In debitum*

*Gratitudinis & Observantiæ*

TESTIMONIUM

*Offera*

RESPONDENS.



ΣΤΝ ΘΕΩ.

Ἐξέτασις ἐλεγκτικὴ

ABOMINATIONIS PONTIFICIÆ,

In Articulo

DE BONIS OPERIBUS.

THESIS I.



A est doctrinæ de gratuitâ hominis peccatoris coram DEO justificatione, per & propter absolutissimum atq; sufficientissimum ipsius CHRISTI meritum solâ fide apprehensum, necessitas, cum insigni utilitate conjuncta, ut B. *Megalander* LUTHERUS in aureo suo & insigni, quem super D. Pauli, incomparabilis illius gentium Doctoris & Apostoli, ad Galatas conscripsit Epistolam, commentario, in hæc erumpere verba minimè dubitet: *Si unicus ille Articulus sincerus permaneat, etiam Ecclesiam Christianam sinceram, concordem & sine omnibus sectis permanenturam; sin verò ille corrumpatur, impossibile esse, ut uni errori aut fanatico Spiritui rectè obviam iri possit.*

2. Quod ipsum cum probè intelligeret, infensissimus ille generis humani hostis, Diabolus, singulis temporibus nullum non movit lapidem, quò Articuli hujus puritatem variè corrumperet, & quò magis necessarius, quò dignior & utilior est hic fidei & Religionis Christianæ locus, tantò impensius & acrius eum aggressus est per fidos suos satellites, usq; adeò, ut nullus propemodum in universâ Theologiâ nostrâ Articulus majores sustinuerit impetus, atq; hic ipse, id quod ex certaminibus in Ecclesiâ inde à primâ mundi origine agitatæ promptissimum videre est.

3. Non dicemus jam de Cainitis, Baalitis & aliis Pseudoprophetis: non dicemus de Pharisæis, Saducæis, Essæis, Pelagianis, & id genus aliis hæreticis, qui id unum omnes unicè egere ut Articulo huic ritè ac fundamentaliter cognoscendo pessimum quasi obderent, aut etiam fundamentum ejus prorsus destruerent: sed de horum in eodem errore successoribus, puta modernis Jesuitis & aliis aulæ Romanæ addictissimis, qui etiamnum puriori huic doctrinæ sese opponunt, nihilq; non tentant, quo *ὁρθοδοξίαν* hujus Articuli impugnent, ac miserrimè depravent.

4. Ostensum hoc satis superq; præcedenti Disputatione, ubi ex professo de hoc articulo actum fuit. Nunc quosnam justitia fidei quoq; de se fructus gignat paucis ostendendum.

5. Hæc enim veræ fidei vis est, indoles atq; natura, ut in hominibus per Spiritum sanctum renatis nunquam sit sterilis & otiosa: sed semper *ἐνεργουμένη*, efficax atq; frugifera ad insignes in omni virtutum genere progressus, proferens fructus illos pulcerrimos, charitatem, spem, patientiam, sedulam nominis divini invocationem, & alia opera verè bona DEO q; placentia.

6. Undè etiam non præter rem in Scripturis passim fides salvifica arbori bonæ, bona verò opera fructibus comparantur, Matth. 3. v. 10. cap. 7. v. 18.



Rom. 6. v. 22. Col. 1. v. 10. 2. Petr. 1. v. 8. Quemadmodum enim arbor fera & Sylvestris è solo sterili in hortum aliquem amœnissimum transposita, plantatione quasi regeneratur, ac irrigatione fœcunda redditur, ut sylvestrem naturam exuat, & frugifera fiat, fructus proferens gratissimos: ita etiam homines naturâ rudes & inculti è sterili mundi solo in fertilissimâ Ecclesiæ campû transferuntur, ibidemq; per verbum & Sacramenta regenerati CHRISTO inseruntur, & gratiâ divinâ irrigantur, ut sterili & sylvestri naturâ, in qua concepti, nati & educati sunt, exuta & depositâ, in fœcundissimas justitiæ arbores excrescant, & fructus fidei proferant uberimos.

7. Quamvis autem bona opera fidem tanquam effectus suam causam immediatè subsequantur: accuratè tamen dispiciendum est, ut intra Scripturæ cancellos nos contineamus, ne vel in *excessu* peccantes bonis operibus cum Romanensibus, nimis quàm par est, tribuamus, & eadem Articulo justificationis immiscentes, tanquam ad salutem necessaria plenis buccis deprædicemus; vel etiam in *defectu* Moisen cum Lege ad Orcum relegemus, & Epicuræam quidvis agendi licentiam ausu nefario in Ecclesiam introducamus. Sicut impudenti admodum & sycophantico ore malè feriata illa focietas Esauitica nostras Ecclesias criminari haud erubescit, in *Concil. Trident. S. 6. c. 11. Can. 19. & 20. à Lutheranis de fide & bonis operibus edoceri, quæ fenestram improbis ad omnis generis scelera & nequitiam impunè perpetrandam aperiant, novamq; obedientiam à justificatis fide, prorsus excludant.*

8. Cui improbæ criminationi & mendacis linguæ gladio ut obviam eamus nos, ipsius Scripturæ & B. LUTHERI vestigia hâc in parte prementes, controversiam hanc amplissimam tribus Capitibus includemus, acturi hâc vice.

I. *De naturâ & essentiâ bonorum operum. Quid propriè sint bona opera, & quæ opera bonorum operum nomine veniant in Scripturis?*

II. *De necessitate bonorum operum. Utrum bona opera sint necessaria ad salutem vel consequendam, vel quavis etiam ratione promerendam? An verò tantummodò fructus sint sibi effectus fidem salvificam consequentes.*

III. *De necessitatis gradu, quo gradu necessitatis, modò atq; ordine à renatis exigantur. Utrum bona opera sint debita & necessaria homini justificato? An verò libera & arbitraria, ita ut in hominis renati arbitrio positum sit, benè aut malè agere quando ipsi visum fuerit, & nihilominus tamen fidem retineat, etiamsi in peccatis ex proposito perseveret.*

De singulis hisce Capitibus breviter σύν ἑκὼ hâc vice agemus.

## CAPUT PRIMUM.

### *De naturâ & essentiâ sive definitione bonorum operum.*

Q.

*Quid propriè sint bona opera?*

9. Quandoquidem non indifferenter opera quavis, quæ pro bonis venditantur, verè bona sunt: sed ea tantùm, quæ à DEO mandata sunt, haud injuriâ in *ἡς προδιδακάλιας ἐνεκα* accuratior quædam bonorum operum definitio erit.

erit præmittenda, ut eò citiùs intelligatur, quâ de re potissimùm in hoc Articulo  
controvertatur.

10. Quamvis enim & illa opera, quæ ad conservandam externam disciplinam  
faciunt, qualia etiam ab infidelibus, & non ad DEUM conversis fiunt, suam co-  
ram mundo dignitatem & laudem obtineant, nec non temporalibus quibusdam  
præmiis hoc in mundo à DEO coronentur: Attamen cum non fiant ex fide CHRIS-  
TI, peccata potiùs sunt coram DEO, Rom. 14. v. 23. quàm ut DEO placere pos-  
sint, Ebr. 11. v. 6.

11. Sunt igitur *Bona opera actiones venatorum tam interiores quàm exteriores, di-  
vinitus in Lege præcepta, facta in fide, efficaciam Spiritus sancti, eum in finem, ut obe-  
dientia & honor DEO præstetur, proximo inserviatur, & fides nostra coram hominibus  
declaretur.*

12. Quæ definitio, cum fundamentum sit totius, quæ inter nos & Pontificios  
agitatur, controversiæ, brevem ejus ἀνάλυσιν instituemus.

13. Ac primò quidem, Bona opera dicuntur *actiones tam interiores quàm exte-  
riores.* Cum enim *opera externa*, inq; oculos hominum incurrentia, & externum  
pietatis specimen de se præbentia, sæpenumerò fallacia & hypocritica sint, ideò vel  
maximè sub censum numerumq; bonorum operum vocari debent *opera interna*,  
qualia sunt, pietas, timor DEI, fides, spes, charitas, patientia, &c.

14. Quemadmodum enim DEUS in religioso adorationis suæ cultu non requi-  
rit nudam, externam labiorum elevationem, & vocis, quæ ore fit, prolationem: sed  
potiùs vult abesse omnem ὑπόκρησιν, requirens Spiritum & veritatem, Joh. 4.  
v. 23. Ita etiam de similibus idem est iudicium.

15. Undè Apostolus etiam à Romanis & quibuscunq; fidelibus exigit,  
λογικὴν λατρείαν, cultum rationalem, spiritualibus nimirum & internis potiùs  
quàm externis pietatis exercitiis constantem, Rom. 12. v. 1. quò respexisse etiam  
videtur Psalmographus, Ps. 51. v. 19. & Esaias c. 66. v. 2.

16. *Causa* bonorum operum *efficiens est* ipse Spiritus Sanctus, Rom. 8. v. 14. Hic  
enim, uti in principio creationis res creatas fovit, & vitam ipsis calore vivificò im-  
pertivit: ita quoq; idem naturam corruptam & depravatam instaurat, idq; sine  
ullâ virium nostrarum συνεργεία, ad interiorem cordis obedientiam, qualem  
quidem Lex DEI ad præstandum opus verè bonum necessariò requirit, quæq; con-  
delectetur Legi DEI, Rom. 7. v. 22. & cujus finis est charitas, 1. Tim. 1. v. 5.

17. Hanc interiorem cordis obedientiam homo propriis viribus non tantùm  
non perficere, sed ne quidem inchoare potest, sine illuminatione, quæ fit per do-  
ctrinam Evangelii, virtute Spiritus Sancti, quod ipsum confirmat Salvator noster,  
Joh. 6. v. 44. inquit: Nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum. Quæ verba  
D. Augustinus non nihil illustrans, Non (inquit) dixit Salvator duxerit, ut aliquo  
modo intelligamus præcedentem voluntatem, sed traxerit: quis trahitur si jam vo-  
lebat, & tamen nemo venit nisi velit. Trahitur ergò miris modis ut velit, ab eo,  
qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines nolentes cre-  
dant: sed ut volentes ex nolentibus fiant.

18. Confirmat hoc ipsum etiam Johannes. c. 3. v. 27. Nemo (ait) potest sibi  
sumere quicquam, nisi sit datum ei desuper. Quod sanè pronunciatum exactè

congruit assertioni Salvatoris, Joh. 15. v. 5. Sine me nihil potestis facere. Ubi non generale tantum auxilium illud DEI Servator intelligit, quod consistit in conseruatione naturæ humanæ, sicuti Pontificii volunt: sed & speciale hoc, quod & velle & perficere bonum opus in homine operatur, & sine quò ipse ne quidem cogitare potest aliquid boni, Phil. 1. v. 29. cap. 2. v. 13. 2. Cor. 3. v. 5.

19. Licet enim homo, quo ad externam locomotivam, mores suos aliquo modo regere possit, humanâ suâ diligentia, & virium propriarum facultate, licet etiam homo renatus in Spiritualibus aliquo modo liberatum habeat arbitrium, ut vi & efficaciam divinæ gratiæ & virtutis sibi assistentis non modò contra carnem militare: sed & Legi divinæ in timore DEI & charitate proximi promptum obsequium præstare studeat: attamen hæ actiones renatorum verè sunt Spirituales, non modò quia Lex ipsa, quæ à nobis eiusmodi opera requirit, Spiritualis est, Rom. 7. v. 14. Sed quia ipsum Spiritum sanctum autorem & effectorem habent, sine quo aliàs nullo modo præstari possent.

20. Et sanè divinum hoc Spiritus sancti auxilium requirit, tum *infirmetas nostra*, quam renati & sancti non modò agnoscunt: sed etiam veris gemitibus & suspiriis ex animo deplorant, eoq, nomine animam suam corporis ergastulo solvi & in veram perfectamq; libertatem, quæ in cœlis reposita est, tandem transferri anxie desiderant, Psal. 42. v. 2, 3. Rom. 7. v. 24. Phil. 1. v. 23. *tum promptum & indefessum illud Diaboli studium*, quo homines etiam sanctissimos à pietatis tramite ad vitiorum & flagitiorum devia abducere laborat.

21. *Subjectum bonorum operum est*, mens & voluntas hominis renati, Deut. 10. v. 12. & 16. Cum enim in universo bonorum operum genere fides principem locum obtineat, tum ob causas alias, tum potissimum hoc nomine, quod nulla diviniior & præstantior hominis actio dari possit, quam unicum Tò credere & confidere in DEO. Hæ actio etiam ad quodvis pietatis exercitium cum DEO instituentium requiratur (sivè enim DEUM colere, sivè ejus auxilium implorare, sivè præsentiam ejus sub cruce tibi certò polliceri, sivè alios pietatis actus instituere velis: semper tanquam basis & fundamentum unica & sola fides ejusdemq; exercitium præsupponitur: ) Hæ verò cum non nisi renatorum sit, consequens etiam est à solis renatis opera verè bona posse præstari DEO.

22. Utitur autem DEUS in producendis operibus bonis voluntate hominis jam renatâ, non ut merè *παινηλικῶν* subjecto, sed ut instrumento concurrente *ἐνεργηλικῶς*; non quidem ex naturalibus suis viribus, sed agente illam & regente Spiritu DEI, qui solus agit in nobis, ut & velimus & efficiamus pro bono animi proposito, Phil. 1. v. 13.

23. Non igitur est, quod prolixè nonnulli anxie h. l. disputent *de gentiliū operibus, an nimirum illorum opera verè bona dici possint ac debeant: & si bona fuerint, num DEO placuerint, nec ne?* Nos enim, ne ex parte *ἐλλείψεως* sivè defectus omnem prorsus bonitatem operibus istis derogemus, neq; ex parte *ὑπερβολῆς* sivè excessus, absolutam bonitatem illis assignemus, quasi eorum virtute vitam æternam fuerint consecuti, quemadmodum Zvinglius, Andradius & alii de gentiliū virtutibus sunt Philosophati. Distinguimus inter bonitatem *relatam* sivè *τῆς φύσεως*, quæ tantum respicit substantiam facti sivè operis, utrum ea Legi divinæ sit conformis, nec ne? Et inter bonitatem *absolutam* sivè *τῆς πίστεως*, quæ non modò



modò substantiam operis considerat: sed & qualitatem personæ attendit, utrum ea DEO sit reconciliata nec ne?

24. Priore considerationis respectu gentiliùm sapientiorum opera & virtutes fuerunt bonæ, & suo quodam modò, videlicet quo ad substantiam facti, DEO placentes, qui bonorum etiam temporalium præmiis eas remuneratus est, & à graviori damnationis supplicio (uti loquitur Augustinus) securitatem iis præstitit.

25. Posteriore verò respectu, quia persona ipsa per fidem DEO reconciliata non erat, opera isthæc verè bona dici non possunt, ne dum affirmari, quòd DEO simpliciter placuerint; sed firmum & immotum stat axioma Apostolicum, Rom. 14. v. 23. Quicquid non est ex fide, peccatum est. Placuit ergò DEO opus in se consideratum, displicuit verò persona. Illud approbatum, hæc reprobata, & æternæ damnationis iudicio propter ἀπιστίαν adjudicata.

26. Et profectò idem fermè est iudicium de ipsis renatorum operibus. Quando enim quæritur de renatis, undenam illorum opera DEO placeant? Utiq; distinguitur inter opus & personam. Opus placet DEO, non simpliciter, vel propter suam præstantiam, quæ in oculis DEI nulla est, vel propter ejus perfectionem, quæ in oculis DEI mera est imperfectio, Luc. 7. v. 10. vel uti Pontificii volunt, quatenus est opus operatum: sed placet 1. quatenus secundùm substantiam facti congruit cum Lege DEI, 2. quatenus proficiscitur à Personâ cum DEO reconciliatâ per CHRISTUM, in cujus verâ fide renati benè operantur.

27. Persona itidem non placet DEO simpliciter & per se, siquidem peccati veneno infecta & contaminata est, Job. 9. v. 2. Ps. 32. v. 6, Ps. 130. v. 3. Ps. 143. v. 2. Luc. 17. v. 10. I. Joh. 1. v. 8. sed quatenus per fidem DEO est reconciliata, ac proindè opera ejus nò tam ex homine quàm ex DEO sive in DEO facta sunt, asserènt Salvator Joh. 3. v. 21.

28. Et hoc ipsum satis evidenter innuit Scriptura asserens, fide Abelem præstantiorem hostiam obtulisse DEO, Ebr. 11. v. 4. hostias nostras acceptabiles reddi DEO per CHRISTUM JESUM, I. Petr. 2. v. 5.

29. Objectum bonorum operum est Lex divina. Ea enim opera tantùm bona sunt, quæ in verbo DEI, & quidè parte ejus legali videlicet Decalogo sunt præscripta & cõprehensa, juxta illud, Num. 15. v. 39. & 40. Deut. 4. v. 2. cap. 12. v. 32. Ezech. 20. v. 18. & 29. Rom. 12. v. 2. id quod probè tenendũ contra errorè Romanensium contententium.

30. Opera verè bona esse non modò ea, quæ in verbo DEI sunt mandata: sed etiam, quæ citra verbi divini auctoritatem bonâ aliquâ intentione vel à Pontifice & Ecclesiâ ordinantur, vel ab ipsis hominibus proprio motu suscipiuntur & fiunt. Undè immensa illa moles ἐφελοθρησκεῖων sive cultuum humanitùs excogitatorum, de quibus Esaiæ cap. 29. v. 13. scriptum est: Populus iste ore suo appropinquat, & labiis suis honorat me Cor a. ejus longè est à me, & coluerunt me mandatis & doctrinis hominũ. Et Salvator inquit, Matth. 15. v. 9. Frustrâ me colunt docentes hominũ mandata.

31. Forma bonorum operum duplex est, 1. Conformitas qualiscunq; cum Lege DEI, Num. 15. v. 38. 40. Quæ enim opera à nobis divinitùs requirantur Decalogus ostendit distinctis utriusq; tabulæ præceptis, & 2. Fides in CHRISTUM, Rom. 14. v. 24. Ebr. 11. v. 6. Illa facit, ut opera sint bona & recta: hæc verò, ut DEO sint grata & accepta.

32. Meritò igitur detestandus est abominabilis error Pontificiorum, docentium, homines in se & per se justos, Deoq; acceptos esse priorum operum dignitate atq; merito. Ea enim est justitiæ divinæ ἀνεξίτητος, ut etiam sanctissimi quicq; quantalibet

quantalibet etiam sanctitate polluerint, si quærantur. *Utrum operibus suis confisi vitam & salutem consequi voluerint, an verò potius in solâ & unicâ D'E I gratiâ omnem spem suam fixam locatamq; habuerint?* mox uno ore gemebundi fateantur, operibus suis, se nihil posse mereri: sed spem suam positam esse in unica solius D E I gratia & favore.

33. Agnoscit hoc Moses, vir D E O charissimus, Exod. 34. v. 7. D O M I N E, coram te nemo est innocens. Lamentatur Job cap. 4. v. 18. Ecce, qui serviunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatē. Et cap. 9. v. 2. & 3. dicit: Scio quòd homo D E O compositus non justificatur, si enim voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro millibus.

34. Conqueritur David, Ps. 19. v. 13. Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo. Psal. 32. v. 6. Pro remissione peccatorum orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno. Item Ps. 130. v. 3. D O M I N E, si peccata imputare volueris, quis sustinebit? Nec non Psal. 143. v. 3. Ne intres in iudicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo ullus vivens. Confitetur Esaias cap. 64. v. 6. Omnes nostræ justitiæ sunt sicut pannus menstruatae. Exclamat Daniel cap. 9. v. 7. Tibi D O M I N E justitia, nobis autem confusio faciei.

35. Fatetur Paulus Rom. 7. v. 14. Ego carnalis sum, venundatus sub peccatum. Protestatur Johannes, 1. cap. 1. v. 8. Si dixerimus, quòd peccatum non habeamus, ipsi nos seducimus, & veritas non est in nobis. Et v. 10. Si dixerimus, quòd non peccavimus, mendacem facimus D E U M, & verbum ejus non est in nobis.

36. Quòd si ergò in sanctissimis quibusq; ea est infirmitatum & peccatorum atrocitas & multitudo, ut illis pro dignitate vel agnoscendis vel deplorandis multò inferiores sese ultrò fateantur, Quæ igitur Pontificiorum audacia est, laudem justitiæ coram D E O valentis ex operibus sibi velle arrogare?

37. *Finis deniq; bonorum operum triplex est. Primus respicit ipsum D E U M,* qui partim mandavit severissimè bonorum operum indefessum studium, Job. 13. v. 34. 1. Thess. 4. v. 3. partim hanc à nobis gloriam obedientiæ sibi præstari vult, ut indè apud alios ipse glorificetur, Matth. 5. v. 16. 1. Petr. 4. v. 11.

38. Et certè, si præter hoc D E I mandatum, nullæ extarent causæ aliæ, quibus incitati bona opera facere debeamus, sufficere debebat unicum hoc D E I mandatum, ad faciendum in nobis ardentem pietatis, obedientiæ, & bonorum operum Zelum: siquidem D E O jure creationis ad obedientiam obstricta est omnis creatura.

39. Sunt verò causæ plures, & inter alias *alter finis respicit ipsum hominem* benè operantem, cui benè operandum est, tum ut opera ipsius de fide & justificatione suâ apud alios testentur, Matth. 7. v. 16. Jac. 2. v. 18. tum ut reddatur particeps illarum promissionum, quas pietas habet de hujus & æternæ vitæ præmiis, 1. Tim. 4. v. 8. tum ut evitentur poenæ & supplicia temporalia & æterna, Rom. 8. v. 13. tum deniq; ne tristitiâ afficiatur Spiritus sanctus, quo renati sunt obsignati, Ephes. 4. v. 30. Psal. 51. v. 13.

40. Etsi enim per bona opera fidem & Spiritum sanctum minimè retineamus, (quod aliàs nonnulli affirmant) *virtute enim D E I custodimur per fidem ad salutem,* 1. Petr. 1. v. 5. attamen per mala opera eandem possumus excutere & profigare.

41. Tertius

41. *Tertius* deniq; bonorum operum *finis* respicit *proximum*, eumq; vel bonum vel malum, ut neutrum impietate offendamus: sed bonorum operum studiis juvemus, & ad similem pietatem excitemus, Phil. 2. v. 15. Tit. 2. v. 8.

42. Sicut enim per vitam impiam eorum, qui profitentur Evangelium, blasphematur sermo DEI, 1. Sam. 2. v. 10. Ezech. 36. v. 22. Tit. 2. v. 8. & abalienantur à professione fidei hominum animi, atq; sic non mediocriter impeditur Evangelii cursus: ita vicissim benefaciendo obturatur os hominibus stultis & ignorantibus, & fit, ut qui adhuc à fide alieni sunt, ex bonis operibus nos æstimantes, glorificent DEUM in die visitationis, 1. Petr. 2. v. 12.

43. Nugatorium igitur est, quod Romanenses tum præter fines jam enumeratos recensent etiam quartum illum, qui justificationem & salutem nostram concernit, quemadmodum *Bellarminus* toto libro 4. de justificatione pugnat, *Bona opera necessaria esse ad salutem, eademq; esse meritoria, & ex se digna retributione*, quo de errore quid statuendum, capite insequenti prolixius disseremus: tum etiam garriant in odium nostrarum Ecclesiarum negligi bonorum operum culturam, si doceatur, non ex operibus justificari hominem.

44. Nos enim dicimus per inversionem majorem in modum potiùs excitari ac fervere benè operandi studium, si DEUS absq; omnibus operibus solà suà immensâ gratiâ & misericordiâ nos justificare doceatur. Quò enim magis gratuitum est beneficium remissionis peccatorum & salutis, eò ardentius accenditur dilectio & gratitudo erga tam incomparabilem benefactorem, & ut CHRISTUS ipse concludit: Cui plus remittitur, plus etiam diligit; minus verò diligit, cui pauciora dimittuntur debita, Luc. 7. v. 47.

45. Hinc Spiritus sanctus ex ipsâ hâc gratiâ justificatione, sinè operibus argumentum extruit efficacissimum, ad gratitudinem operibus & obsequiis nostris DEO probandam. Tit. 2. v. 11, 12. Illuxit gratia DEI salutifera omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegatâ impietate & mundanis concupiscentiis sobriè justè & piè vivamus, & 1. Cor. 6. v. 19, 20. inquit: Non estis ipsi vestri juris. Nam emti estis pretio, glorificate jam DEUM in corpore vestro, & in Spiritu vestro. 1. Petr. 1. v. 13, 19. Sciatis vos, non caducis rebus, velut argento & auro fuisse redemptos à vanâ vestrà conversatione, quam ex patrum acceperatis traditione: sed pretioso sanguine velut agni immaculati & incontaminati CHRISTI. Et Tit. 3. v. 5. & 7. postquam Paulus dixerat, DEUM nos non ex operibus, sed secundum suam misericordiam salvos fecisse, per lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritûs sancti, ut justificati illius gratiâ, hæredes efficeremur juxta spem vitæ æternæ; confestim subjicit v. 8. De his volo ut confirmes, quo solliciti sint, ut bonis operibus præsent, qui crediderunt DEO, hæc enim sunt honesta & utilia hominibus.

46. Ex quibus omnibus patet, quòd Paulus Apostolus ideò doctrinam de justificatione sinè operibus gratiâ urgeri velit, ut per eam incitentur fideles ad benè operandum, hoc ipso Pontificiorum objectionem & calumniam ex professo refellens. Et hæc de primo Capite sufficiant.

## CAPUT SECUNDUM;

### *De necessitate bonorum operum.*

B

Utrum

Q.

*Utrum bona opera sint necessaria ad salutem vel consequendam vel quavis etiam ratione  
promerendam? An verò fructus tantummodò sint & effectus,  
qui fidem salvificam necessario concomitentur?*

47. *Robertus Bellarminus* Jesuita Cardinalis, toto lib. 4. de justificatione, nihil aliud pertractat, quàm ut ostendat bonorum operum necessitatem ad salutem. Nos erroris istius impietatem demonstramus unico hoc argumento, petito à remotione operum bonorum ab omnibus causis & modis justificationis & salutis. Sic enim colligimus.

48. *Quicquid non est necessarium*, 1. Ratione efficientiæ ad salutem conferendam, neq; necessarium 2. ratione meriti ad salutem promerendam, neq; necessarium 3. sub ratione causæ materialis ad salutem constituendam, neq; necessarium 4. ratione formæ ad salutem perficiendam, neq; necessarium 5. ratione instrumenti ad salutem apprehendendam, neq; necessarium 6. ratione causæ retentivæ ad salutem conservandam, neq; necessarium 7. ratione præsentivæ ad salutem promovendam, illud simpliciter non est necessarium ad salutem.

Bona opera neq; sunt necessaria ad salutem 1. conferendam, 2. neq; promerendam, 3. neq; constituendam, 4. neq; perficiendam, 5. neq; apprehendendam, 6. neq; conservandam, 7. neq; promovendam.

Ergò bona opera simpliciter non sunt necessaria ad salutem.

49. *Major* per se satis manifesta est, constans sufficienti enumeratione graduum necessitatis, quo ad salutis nostræ negotium ipsis adversariis, ultrò fatentibus. *Minorem*, probamus per singula membra.

50. *Ac primo quidem quòd bona opera non sint necessaria ad salutem ratione efficientiæ* ad salutem conferendam probamus tali medio.

51. *Si causa justificationis ac salutis nostræ prima atq; summa nulla alia est, quàm gratuitus DEI favor & misericordia quâ commotus pater cælestis homines in gratiam recipit: Sequitur bona opera ab hac ipsa duci* justificandi & salvandi penitus & quàm longissimè sequestranda esse, adeoq; nullo modo ad salutem nostram conferendam esse necessaria.

52. *Rationem copulati* damus istam, quia gratia DEI & bona opera sibi invicem opponuntur in Scripturis, utpote quæ opera à justificationis & salutis nostræ negotio expressè separant & excludunt, Rom. 3. v. 28. cap. 4. v. 9. Gal. 2. v. 16. Ergò ratione unius ejusdemq; effectûs, qui in justificando consistit, concurrere non possunt.

53. *Minorem* probamus iis Scripturæ testimoniis, quibus Spiritus sanctus non sine singulari *ἐὐφρασίᾳ* gratiam DEI quo ad salutis nostræ efficientiam singulariter & mirificè commendat, utpote Rom. 3. v. 24. Justificamur gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in CHRISTO JESU. & cap. 4. v. 16. Secundum gratiam firma est promissio omni semini. Ephes. 2. v. 5. Cum essemus mortui in peccatis, convivificavit nos in CHRISTO, cujus gratiâ estis salvati.

54. Oppositionem verò gratiæ & bonorum operum in justificationis nostræ negotio, Scriptura itidem disertis verbis ostendit. Gratia enim non esset gratia, nisi gratis daretur, sicut Paulus ait, Rom. 11. v. 6. Si gratiâ DEI salvamur, jam non ex operibus, alioquin gratia non jam est gratia. Sin autem ex operibus, non ampliùs est gratia, alioquin opus non est ampliùs opus. Et Ephes. 2. v. 8. 9. Gratia salvati estis,  
NON

non ex operibus, 2. Tim. 1. v. 9. Salvavit & vocavit nos vocatione sancta: non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quae data quidem est nobis per CHRISTUM JESUM ante tempora aeterna. Et ad Tit. 3. v. 6. & 7. Non ex operibus justitiae, quae fecimus nos: sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit, ut justificati illius gratiam haeredes efficiamur, secundum spem vitae aeternae.

55. Licet igitur gratia DEI & donum per gratiam, i. e. opera renatorum, quae Deus ipse efficit in sanctis suis per se & respectu essentiae suae sint conjunctissima, & extra articulum justificationis secum invicem non pugnent, sicut Deus ipse non pugnat cum donis suis: attamen in justificationis negotio rectissime ab Apostolo sibi invicem opponuntur. Hic enim effectus, si gratiae tribuatur, mox excluduntur opera; rursus, si idem effectus operibus tribuatur, protinus vi oppositionis Apostolicae omnis gratia tollitur & expirat.

56. Deinde quod bona opera ad salutem nostram conferendam nihil quicquam faciunt, pronum est ex ordine isto, quod bona opera non praecedant hominem justificandum; sed potius absolutam jam hominis justificationem, si non tempore, saltem ordine naturae subsequantur, teste Johanne 1. cap. 2. v. 29. Jam vero si bona opera essent ex causis justificationem conferentibus, utique justificationem nostram necessario antecederent tanquam causa suum effectum: siquidem omnis causa prior est suo effectui. Quia vero bona opera justificationem jam absolutam ordine naturae, ut effectus suam causam, fructus suam arborem consequuntur, utique illius conferendae causa nunquam existent, neque cum gratia DEI salvificae ad eundem effectum producendum conjungi poterunt.

57. Quod ipsum satis luculenter ostendere videretur, D. Paulus, gentium Doctor & Apostolus, in aurea sua & insigni Epistola Romanis inscripta & nuncupata, in qua licet ubique fidem justificantem cum operibus conjungat: utriusque tamen pertractationem plerumque justis intervallis & totis capitibus ita separat, ut e circulo justificationis doctrinam operum disertè excludat, eamque absolutae demum explicationi articuli de justificatione ultimo loco subjiciat.

58. Et sane non immerito. Uti enim Lex & Evangelium non sunt confundenda, sed infinitis distant parasangis: Ita etiam gratia DEI, quae in Evangelio annunciatur, & opera, quae in Lege praecipuntur, ad unum eundemque effectum salutis producendum concurrere non possunt: Sed accuratis a se invicem limitibus discernenda sunt.

59. Lex equidem promittit vitam, sed cum conditione perfectae obedientiae, quae cum a nobis in hac vita propter imbecillitatem & corruptionem naturae nostrae praestari nequeat, utique & Legi *ἀδυναμία* quaedam salvandi accedit. Evangelium vero est *δύναμις τῆς Θεῆς*, potentia DEI ad salutem omni credenti. Rom. 16.

60. Lex est doctrina de faciendo, Evangelium de credendo: Lex indicat morbum, Evangelium contra sanat: Lex requirit justitiam propriam, Evangelium offert alienam: Lex debitum exigit, Evangelium gratis illud remittit: Lex iram operatur, Evangelium DEUM placatum nobis ostendit: Lex terrendo animum prostermit, Evangelium consolando iterum erigit: Lex est ministerium mortis, Evangelium est ministerium vitae. Lex damnat, maledicit & accusat: Evangelium contra excusat, benedictionem affert atque absolvit.

61. Jam vero, quae Legi propter imbecillitatem & corruptionem naturae nostrae accessit *ἀδυναμία* salvandi, eadem quoque bonis operibus, quae secundum Legem sunt, adheret impotentia, ita ut in iisdem nullam collocare liceat fiduciam.

61. *Ceterum, quid ad hæc Pontificii?* Illi, ut adamatum suum thema de necessitate bonorum operum ad salutem eò melius tueri possint, simpliciter hæc Legis *ἀδυναμία* rejiciunt, statuentes contra orthodoxam nostrarum Ecclesiarum sententiam, Legem moralem homini in hæc vitâ nequaquam esse præstitum & impletum impossibilem: sed servari facillimè posse ab homine renato, adeoq̄, per opera Legis hominem optimè posse promereri vitam & salutem æternam.

63. Cui assertioni *opponimus* 1. ipsius *sacra scriptura auctoritatem*, quæ disertè fatetur, Act. 15. v. 10. Quid tentatis DEUM imponere jugum cervicibus discipulorum, quod neq̄; patres nostri neq̄; nos portare potuimus. Et Rom. 8. v. 3. Impossibile est Legi, ut quempiam justificet, quia infirmatur per carnem. Et Galat. 3. v. 21. Non data est Lex, quæ posset vivificare.

64. *Opponimus* effato huic Pontificio 2. *natura nostra horrendam & extremam omnium ejus virium corruptionem*, quæ cum perfectione Legis haud minùs è diametro pugnat, atq̄; à se mutuò distant veritas & mendacium, lux & tenebræ, Spiritus & caro, Rom. 7. v. 14.

65. *Opponimus* itidem errori huic 3. *satisfactionem CHRISTI*, quæ certè prorsus supervacanea & frustranea fuisset, si nos Legi DEI satisfacere potuissemus. Ipse enim ideò in mundum venit, ut & pro nobis impleret Legem, Matth. 5. v. 17. Rom. 8. v. 3. & maledictionem Legis à nobis auferret, Gal. 4. v. 5. Si ergò ex Lege esset justitia, & ex operibus Legis, CHRISTUS frustrâ mortuus esset, dicit Apostolus Galat. 2. v. 21.

66. Neq̄; est, quòd h. l. ceu Gorgonis caput nobis objiciant Pontificii, DEUM salvâ suâ justitiâ impossibilia præcipere non posse. Constat enim nihilominùs DEO laus suæ justitiæ, ut maximè requirat universæ Legis absolutissimam obedientiam, & ratio est, quia contulit ipsi homini in creatione vires ad obediendum integras. *Κατὰ τὴν* igitur verum est, quòd DEUS non præcipiat impossibilia, Naturæ scilicet humanæ, quatenus ea ante lapsum in statu integritatis & innocentie pensitatur: si verò subsumtio fiat ad naturam corruptam *πλεονεξία* committitur.

67. *Quemadmodum* nec illud quicquam juvare potest Romanenses, tum quòd 1. Joh. 5. v. 3. Mandata DEI haud gravia esse perhibeantur, tum quòd in sacra Scriptura exempla benè multa prostant, quæ secundum externam superficiem literarum sanctis ac renatis quibusdam perfectam Legis impletionem assignare videntur, ut quòd David fuerit vir secundum cor DEI, qui fecerit omnes voluntates ejus, 1. Sam. 13. v. 14. Quòd Isaac similem non habuerit ambulando secundum omnem Legem Moysi, 2. Reg. 23. v. 25.

68. Facilis enim & expedita est responsio ad utrumq̄; Nam locum Johannicum quod attinet, loquitur is non de absolutâ Legis impletionem, sed de inchoatâ, quâ renati, qui jam sunt filii DEI, & ducuntur Spiritu DEI, bona opera præstant: ita tamen, ut quicquid illorum obedientie desit, facilè remittatur per & propter CHRISTUM.

69. Exempla sanctorum quod attinet, committitur in iis fallacia *ὡς εἰ τὸ πᾶν καὶ ἀπλῶς*. Phrases enim illæ non legalem, sed Ecclesiasticum sensum obtinent, qui notat perfectionem non omnibus numeris absolutam, qualis neq̄; in Davidem neq̄; in Josiam in hæc vitâ cadere potuit: sed sensu Ecclesiastico phrases illæ notant sinceritatem & candorem ab omni hypocrisi & simulatione alienissimam.

70. No

70. Non dicam, quòd ejusmodi testimonia Scripturæ haud rarò de certâ specie facti accipienda sint, utpote Josias qui commendatur reversus ad D O M I N U M quo ad specialem illam reformationem cultûs divini, quam secundum Legem D E I ita instituit, ut idololatriam omnem ex Judæâ extirparet. Jam verò, quemadmodum heroica isthæc facta excipiuntur à regulâ generali: ita quoq; à certâ specie facti ad universam illorum vitam argumentari non valet consequentia.

71. *Secundò quòd bona opera non sint necessaria ad salutem promerendam, probamus tali medio.*

I. *Si causa meritoria nostra coram DEO justificationis & salutis est unica eaq; sufficientissima unius & solius CHRISTI obedientia, tam activa, quâ Legem pro nobis sanctissimâ suâ vitâ perfectissimè servando in omnibus apicibus adimplevit, quàm passiva, quâ pœnas peccatis nostris debitas spontè subiit, & in proprio corpore sustinuit, sequitur bona opera nullo modo esse meritoria nostra coram DEO justificationis & salutis.*

*Sed verum prius.*

*Ergò & posterius.*

72. *Rationem copulati sumimus ex naturâ oppositorum, quorum hæc est proprietas, ut quicquid uni oppositorum tribuitur in oppositione, id alteri tribui nequit. Jam verò CHRISTI meritum & opera in actu justificationis sunt opposita. Ergò.*

73. *Minorem probamus, quia Scriptura remotis nostris operibus uni & soli CHRISTO λύτρον, redemptionem, satisfactionem & meritum in solidum ascribit, Actor. 13. v. 38. Gal. 2. v. 21. cap. 5. v. 2. Quisquis igitur propriis operibus plus tribuit quàm CHRISTI merito, is certè nihil facit aliud, quàm ut vesti pulcherrimæ & pretiosissimæ justitiæ CHRISTI sordidos panniculos assuat, & ita CHRISTO Salvatore debitum honorem detrahat.*

74. II. *Omne meritum (si quidem alicujus saltem ponderis ac valoris esse debet,) debet esse perfectum, omnibusq; numeris suis ita absolutum, ut 1. non sit debitum, 2. sit vera nostrum, & ex nostris viribus profectum.*

*Jam verò bona nostra opera non sunt perfecta, sed potius multis modis imperfecta, Psal. 130. v. 3. Rom 7. v. 18. Si præsertim ad rigorem justitiæ divinæ exigantur.*

*Ergò bona opera non possunt esse meritoria vitæ & salutis æternæ.*

75. *Minorem probamus, sunt enim 1. non nostra aut ex nostris viribus profecta: siquidem omnia, quæ habemus, à DEO accepimus, Joh. 15. v. 5. 1. Cor. 3. v. 5. Sunt insuper 2. debita; debet enim omnis creatura DEO ex jure creationis obedientiam undiquaq; perfectam & absolutam.*

76. *Obedientiæ autem jam ante debitæ CHRISTUS ipse omnem valorem atq; vim meriti penitissimè negat, Luc. 17. v. 10. discipulis suis (quos DEI Spiritu renatos fuisse certum est) inquit: Si omnia feceritis, quæcunq; præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus, fecimus enim quod debuimus facere. Quæ vel unica sententia quovis cœlesti fulmine validior est, ad meritum operum etiam ab hominibus renatis editorum, funditus evertendum.*

77. *Et stabilitur ampliùs hæc sententia gravissimo dicto Apostoli Rom. 11. v. 35. dicentis: Quis dedit illi prior, ut retribuatur ei? Ubi simpliciter omne meritum & retributio DEI, quæ ex debito fit, cunctis renatis & non renatis adimitur, ut non prædicetur ullum aliquod meritum volentis, currentis aut operantis: sed ut solius DEI miserentis gratia palmam obtineat.*

78. Illustrant hoc ipsum Theologi nostri exemplo Adami ante lapsum, & quaeritur, Si Adamus in innocentia statu perseverasset, an operibus & obsequiis suis licet perfectissimis promereri potuerit vitam aeternam: Ubi respondetur, minime: Siquidem jam ante ex altiore illam principio obtinebat, videlicet ex creatione, quippe ad aeternam vitam à DEO conditus, Sap. 2. v. 23. Quapropter obedientia primi hominis perfecta ei tantum praestitit, ut à mandatis DEI non recedens vitam aeternam (quam ex sublimiori jam habebat principio) non excideret. Atque sic privativè potius de non amittenda vitam per transgressionem, quam de ea demum promerenda per obedientiam intelligendum est, quicquid hanc de re nobis tradunt sacrae literae.

79. Si ergò ne perfecta quidem opera sunt vitae aeternae & salutis meritoria, quae per DEUM immortalem! Impietas & dementia est? in negotio salutis, imperfectissimis hominum quamlibet regeneratorum justitiis, menstruo assimilatis tale meritum assignari.

80. Proinde & hic concludimus adversus Romanenses: *Aut meritum CHRISTI tanta erit plenitudinis & perfectionis, ut si infinites plures essent homines quam fuerunt, sunt & erunt: ad salutem tamen universis atque singulis acquirendam & fide applicandam possit exuberantissime sufficere, aut non erit ita plenarium & sufficiens.*

81. Si posterius statuunt Jesuitae, contradicunt ipsi Scripturae, imprimis toti Rom. 5. Capiti, utpote in quo Apostolus, CHRISTI obedientiam infiniti quoque esse meriti sufficientissime & prolixè satis ostendit. *sin prius* affirmant, & ita sufficientiam *ἀλλ' οὐκ* agnoscant, fateantur quoque oportet, opera nostra ad salutem promerendam prorsus esse otiosa: Siquidem hanc CHRISTUS infinito consummato & absolutissimo merito jam ante comparaverit per suam obedientiam, non quidem eam, quam in nobis indies operatur spiritu suo: Sed quam semel in diebus carnis agendo & patiando patri suo exolvit.

82. Huic obedientiae filii DEI (merito prorsus infinito) si in quaestione salutis imperfectissimam nostram obedientiam quis adjungat, quid agit aliud, quam si summo meridie accendat exilem lucernulam, & lumini solis inferat, aut si vastissimo mari aquae guttulam aliunde infundat, aut si decies mille talentorum summae (quae tenebamus obstricti) per Christum exolutae, plenioris solutionis causam rubiginosum teruncium addat, aut si indumento longè pretiosissimo, auro & gemmis fulguranti, appendat vestem mendici, aut quod foedius est, panniculum menstruato sanguine deformem, quae similitudine Spiritus Sanctus ipse renatorum justitias perstringit, Esa. 65. v. 6.

83. *Ceterum hic Romanenses proferunt bene multa argumenta, quibus impietati suae fucum facere conantur. Et initio inter alia pro necessitate bonorum operum ad salutem strenuè dimicantes, strenuè urgent ea scripturae testimonia quae magnam operibus dignitatem & perfectionem tribuunt.*

84. Sed Respondeo, committi fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Non enim talis intelligitur dignitas, quae ex naturam ipsi substantiae operum insit, vel etiam ex personae operantis perfectione & sanctitate concilietur: Sed accessoria illa est dignitas, bonisque renatorum operibus per accidens & aliunde obtingit, partim ex conformitate qualicumque cum Lege DEI, partim etiam ex fide praevalente, ex qua oriuntur, & quae sine nihil dignum, nihil rectum, nihil sanctum & gratum DEO esse potest.

85. *Deinde ea proferunt sacrosancta Scripturae testimonia, quae operibus bonis retributionem*



*butionem premiorum corporaliū ac spiritalium pollicentur, qualia sunt, Esa. 1. v. 19. Si audieritis me, bona terræ comedetis. Item Matth. 10. v. 42. Qui dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, retribuetur ei in resurrectione justorū. Luc. 14. v. 14. 1. Tim. 4. v. 8 Pietas ad omnia utilis promissionem habens hujus & futuræ vitæ.*

86. Sed *Respondeo*, sophisma committi ignorationis elenchi. Dicta enim ista vel sunt legalia concionantia de perfectâ obedientiâ, quæ nobis est impossibilis, uti docetur Rom. 8. v. 3. Galat. 3. v. 11. 12. 13. vel generatim accipi possunt de verbo DEI, seu doctrinâ divinitus patefactâ, cui etiam Evangelium includitur, cujus summa est, agnoscere ex Lege non esse justitiam: sed eam inveniri fide in solo CHRISTO Mediatore. Ergo illud operari & facere etiam hoc sensu est accipiendum.

87. Deinde, quod operibus renatorum sua apud DEUM amplissima constet remuneratio, non solum in hac vitâ, verum etiam in resurrectione justorum, ex allegatis dictis facile largimur, neq; hoc unquam apud nos in controversiâ vocatum est: *Sed cardo questionis versatur de fundamento, causâ, & origine hujus promissi, utrum ex merito illa retributio nobis obtingat?* Ubi respondemus, originem ejusmodi promissi non esse aliquod nostrum meritum: Sed bonitatem DEI merè gratuitam.

88. Et primò quidem loquuntur ista dicta, non tam de ipsâ vitâ æternâ, quasi ipsa merces bonorum operum constituatur. Est enim donum DEI gratuitum, Rom. 6. v. ult. ex solius CHRISTI opere nobis obveniens; quàm potius de gloriâ illius vitæ, ostendentia ampliore scilicet gloria decoratum iri eos, qui plus bonorum operum ediderunt. Attamen quando & quoties DEUS bonis operibus retribuit, nihil facit aliud, quàm quod sua propria dona in nobis coronet: Omnia enim bona renatorum opera sunt DEI opera, juxta illud Esa. 29. v. 12. Omnia opera nostra tu in nobis operatus es DOMINE. Id quod etiam affirmat Apostolus Paulus, Philip. 2. v. 13. Galat. 5. v. 22. ubi fructus Spiritus nuncupantur.

89. Tertiò hoc loco Bellarminus lib. 5. de justif. 1 & 2. & 3. cap. *Et unâ cum ipso alij Pontificij scriptores vehementissimè urgent ea Scripturæ testimonia, in quibus vita æterna merces appellatur, seu premium bonorum operum*, ut Matth. 5. v. 12. cap. 10. v. 42. cap. 19. v. 29. 1. Cor. 3. v. 8. & 14. 1. Cor. 9. v. 17. Coloss. 3. v. 24. 2. Tim. 4. v. 7. 2. Joh. v. 8. Apocal. 11. v. 18. cap. 22. v. 12.

90. Sed facilis & expedita est responsio, 1. quod sit ambiguitas in vocabulo mercedis. *Duplex enim merces est, una est merces mercenaria sive debita*, quæ opponitur gratuito, & notat pretium sive compensationem officii aut laboris debitam, sicut Rom. 4. v. 4. dicitur: Ei qui operatur, merces datur ex debito. *Alterâ verò est merces indebita & gratuita*, ex gratuitâ DEI misericordiâ proficiscens, quo sensu Matth. 5. v. 12. Cum Salvator fidelium persecutionibus pollicetur amplam retributionem ait: Merces vestra copiosa erit in cœlis. Quæ merces nullam ullius meriti rationem implicat, & ita mercenaria merces esse nequit, tum 1. ob carentiam proportionis inter nostra opera (quæ finita & imperfecta sunt) & vitam æternam, quæ est bonū infinitum & summè perfectum, tum 2. quod debita sint: Siquidem aliâs plus DEO jure creationis debemus, quàm possumus præstare. Jam verò nullum debitum potest esse meritorium.

91. II. Generatim & communiter in Scripturâ nominatur merces, quicquid re-  
penditur, sive illud labori aut operi sit proportione aliquâ analogum sive non, sicut hujus rei exemplum admodum illustre habemus & conspicuum, in parabolâ de operariis in vineâ, Matth. 20. ubi merces vocatur, quod non pro labore vinitorum: Sed quod ex beneplacito Patris familiâs operariis exolutum est.

92. Et

92. Et sic haud abs re *vita aeterna merces nominatur*, I. *Ratione consecutionis*, quia immenso labore constat, non quidem nostro: sed CHRISTI, qui suo ingenio labore & sudore passionis suae tempore, illam nobis meruit. Dicitur autem merces nostra, non meritorio nostro: sed imputativo alieno. 2. Ex *yoſeſias* beneficio nobis obtingit.

93. Quemadmodum autem haereditas non propter officia sua; (aliàs servi, quià plus laborant, plus haereditatis acciperent.) Sed ob filiationem filio datur: & tamen simul in compensationem obedientiae gratuita: Pari ratione & modo cum salutis nostrae negotio comparatum est. Undè etiam vita aeterna Coloss 3. v. 24. vocatur merces haereditatis, ad designandum mercedem esse non omni planè modo gratuitam, quippe caro pretio Filii DEI acquisitam, multoq; labore & sudore partam: sed nostri saltem respectu merè gratuitam; sicut haereditas à parente multo sudore acquiritur; sed filio gratis obtingit.

94. II. *Vita aeterna nominatur merces, ratione promissionis divinae*. Quandoquidem enim DEUS promisit, se benè operantibus vitam aeternam daturum, vi promissionis hujus sit quasi debitum, & propter immutabilem veritatem DEI hoc ipsum promissum cadit in debitum: & tamen nostri respectu est & manet merè gratuitum.

95. Sed instat Bellarminus lib. 5. de justif. cap. 3. *urgens locum Rom. 2 v. 26. ubi dicitur, quòd DEUS disertis verbis sacra Scriptura promittat, quòd reddere velit unicuiq; secundum opera ipsius.*

96. Verùm *respondeo*, adversarium petere principium. Loquitur enim idem Apostolus de retributione gratuita, ratione piorum, neq; dicit, quòd propter opera & ex operibus nostris retributio isthac futura sit, quae phrasis aliquem respectum & speciem causae meritoriae haberet: sed tali locutionis formulam utitur, quae signi saltem respectum obtinet, ut tale cujusq; judicium futurum ostendat, qualia sint ipsius opera. Si bona testantia de fide, retributionem magnam à DEO securam esse: sin mala, malum etiam judicium operibus ejusmodi expectandum esse.

97. Tandem hoc loco *urgent adversarii*, cap. 2. Epistolae Jacobi, qui v. 14. dicit: *Quid proderit, si quis dicat fidem se habere, opera autem non habeat. Nunquid fides poterit salvare eum? v. 24. Videtis, quoniam ex operibus justificetur homo, non ex fide solùm.*

98. *Respondeo*, praeterquam quòd Epistola isthac non gaudeat Canonicam auctoritatem, ut ex eà fidei dogmata confirmari possint, tenendum est, Jacobum hoc ipso in loco non agere ex professo, de justificationis nostrae coram DEO causis, quemadmodum Paulus facit, in Epistolâ ad Romanos, cap. 3. & 4. in Epistolâ ad Galatas, & passim alibi, qui ubiq; disertis verbis Jacobo contradicere videtur, asserens, Abrahamum justificatum esse absq; operibus, & non operantem, i. e. justitiam suam non in operibus quaerentem aut collocantem: sed longè alium scopum habuisse sibi propositum. Jacobus enim non hoc agit, ut disputet, quomodo homo peccator justificetur coram DEO, & in ipsius judicio: sed agit saltem de qualitatibus justificatorum, quomodo ex effectibus antegressae justitiae, & verae non mortuae fidei fructibus declaretur homo justus seu justificatus, sicuti admodum luculentur hoc ipsum exponit inquires: *Ostende mihi fidem tuam ex factis tuis, & ego ostendam tibi ex factis meis fidem meam.*

99. Dirigit igitur Jacobus omnem suum sermonem adversus eos, quorum fides erat fidei nuda persuasio seu opinio tantum, cum externâ gloriatione oris conjuncta, *sensusq; verborum Jacobi hic est*: Haudquaquam sufficere nudam gloriationem de fide, sive inanem fidei jactantiam: Sed ut homo verè probet, se esse justum, & justitiam DEI consecutum, necessum esse, ut sicut gloriatur ore, se habere fidem: Sic idipsum quoq; probet ac demonstret opere.

100. Vult igitur dicere: *Mi homo, si vis haberi pro homine verè Christiano & justo, non tantum externâ voce profiteris te credere*: ( id enim impiis, imò Diabolis ipsis etiam commune esse potest, quippe qui professi sunt, se credere, CHRISTUM esse Filium DEI, Matth. 8. v. 29. Marc. 1. v. 24. cap. 3. v. 11. cap. 5. v. 7. Luc. 4. v. 34. cap. 8. v. 28. Actor. 19. v. 15. ) *sed opus est insuper, ut fidem hanc tuam ostendas, & probes bonis operibus, tanquam certis effectis*. Aliàs enim fides sine operibus est mortua, i. e. quemadmodum spiratio & motus ( quæ duo per  $\piνευμα$  intelliguntur ) certissimum signum sunt vitæ corporalis, adeò ut sine iis corpus sit mortuum, v. 26. i. e. illis absentibus vitam abesse constet: Sic bona opera sunt signa veræ fidei, adeòq; sine illis fides est mortua, i. e. falsa & ficta esse deprehenditur.

101. Et sanè, hanc genuinam esse sententiam Jacobi, demonstratur 1. ex primario totius Epistolæ scopo. 2. ex integro contextu. 3. ex ipsâ phrasi. 4. ex applicatione singulorum argumentorum. 5. ex citatis de Abrahamo & Rahab Scripturæ testimoniis, &c.

102. *Sed instat h. l. Bellarminus lib. 4. cap. 18. & locum hunc Jacobi cum Mose Gen. 15. v. 6. & Paulo Rom. 4. v. 13. & Gal. 3. v. 6. conciliare volens dicit, Paulum & Mosen loqui de justificatione primâ; Jacobum verò de justificatione secundâ. Est autem Pontificius justificatio prima, infusio charitatis formaliter justificantis coram DEO: justificatio secunda verò est præstatio operum justificantium. coram DEO meritorie.*

103. Sed resp. conciliationem & distinctionem hanc & novam & simul etiam falsam & impiam esse. *Nova est*, liquidem neq; in Scripturis, neq; apud Patres orthodoxos reperitur: Sed à Jesuitis ad depravandas scripturas nudius tertius excogitata est. *Falsa est*, quia 1. una est justificatio, sicut unus est DEUS, Rom. 3. v. 30. & hæc est perfecta coram DEO, adeòq; si duplex est, ex sententiâ Romanensium, una ex his erit inutilis, & non necessaria. 2. Operibus debitis & imperfectis meritum assignat. 3. In Sacrà scripturâ justificatio non infusione, sed remissione peccatorum definitur.

104. *Impia est* hæc distinctio & blasphema in mortem Filij DEI, quâ solâ dicimur reconciliari DEO, Rom. 5. v. 10. Remotâ igitur & separatâ falsâ conciliatione, dicimus, Mosen loqui de verâ fide justificante, & de fidei justificatione, eodem sensu, quo à Paulo allegatur, Rom. 4. v. 3. Gal. 3. v. 6. Jacobus autem pro suâ sententiâ confirmandâ adducit complementum istorum verborum arguens à posteriori: *Impleta est Scriptura*, ( inquit ) *credidit Abraham DEO*, q. d. Cum Isaacum esset Abraham oblaturus ex DEI mandato, Gen. 22. tum ex illo tam præclaro opere patuit, manifestissimè verum esse, quod cap. 15. v. 6. dixerat Moses: *Credidit Abraham DEO*, & imputatum est illi ad justitiam.

105. Constat enim ex historiâ Mosis & disputatione Paulinâ, Abrahamum fide justificatum fuisse, antequam offerret Isaacum. Absurdum igitur erit concludere: *Abraham justificatus est*, i. e. justum se esse declaravit præclarè obediendo

C

DEO,

**D E O**, cum spontè offerret Isaacum Filium. Ergò opera justificant, i. e. justos efficiunt.

106. Proindè & hîc concludimus contra Romanenses, dicentes, locutiones istas fidem cooperari operibus, & ex operibus proficisci fidem non notare perfectionem fidei formalem: (quæ tota consistit in **CHRISTI** Redemptoris apprehensione) sed referri tantùm ad declarationem & manifestationem, ac si dicas, ex effectu proficisci causam, quatenus effectus testatur de suâ causâ, ex eoq; arguitur & ostenditur.

107. *Tertio, quòd bona opera non sint necessaria ad salutem constituendam sub ratione causa materialis*, probatur indè, quòd bona nostra opera non sint pars illius justitiæ, quâ coram **D E O** consistere possumus; hoc enim si ita esset, sequeretur hoc absurdi, hominem duplici justitiâ justum esse, unâ imputatâ, alterâ inhærivâ: unâ propriâ, alterâ aliena: unâ perfectâ, alterâ imperfectissimâ.

108. Cum verò universa Scriptura omnem vim liberandi hominis à peccato, morte, & æternâ damnatione, referat ad imputatam justitiam, quâ **D E U S** obedientiam & satisfactionem Filii sui, **DOMINI** ac Salvatoris nostri **JESU CHRISTI**, pœnæ solutione & Legis impletione præstitam nobis imputat, & actualem **CHRISTI** justitiam pro nostrâ habet atq; ducit, ac si à nobis præstita esset, ut eâ quasi vestiti & induti in ipsius judicio justii pronunciemur, Rom. 4. v. 5. 6. 7. 22. 24. Gal. 3. v. 6. ideoq; inhærentis alicujus justitiæ adminiculo minimè indigemus.

109. Non dicam quòd justitia inhærens & inchoata cum imputatâ **CHRISTI** justitiâ in hoc arduo & sublimi negotio ob disjunctissimas perfectionis & imperfectionis conditiones in excellenti gradu tanto intervallo differant, quanto intervallo cœlum extimum distat ab infimâ terrâ.

110. Gnaviter igitur impudentes esse oportet illos, qui absolutissimæ & perfectissimæ **CHRISTI** obedientiæ rancidas operum suorum scorias assuere laborant, easq; supremo judici satisfactionis loco obtrudere non verentur.

111. *Quarto, quòd bona opera non sint necessaria ad salutem perficiendam sub ratione causa formalis*, sicut Romanenses garrunt, statuentes, *formam & complementum justitiæ coram D E O* valentis consistere, nescio in quâ inhærente qualitate, adèd ut *justificatio fidei quasi imperfecta manca & mutila sit, nisi per bona opera consummatur ac perficiatur*, ita probamus: *I. Quicquid aliud perficit, eiq; quasi formam & essentialam largitur, illud in se perfectum & absolutum sit necesse est*; aliàs enim quod in se imperfectum est, aliud perficere non potest.

Atqui *justitia operum perfecta non est.*

Ergò *aliud, videlicet justitiam & salutem nostram perficere non potest.*

112. *Minorem* probat cum universâ Scripturâ ipsa experientia: ubi enim terrarum invenies hominem ejusmodi, qui semper benè agens non peccet, & cujus actiones singulæ atq; universæ ad amussim Legis congruant. Jam verò perfectio ejusmodi nullibi locum habet, nisi ubi est plena legis secundùm omnes apices observatio, Gal. 3. v. 6. Jacob. 2. v. 10.

113. *II* Quòd bona opera justitiam & salutem nostram non perficiant, neq; sint forma nostræ coram **D E O** justificationis probatur ab absurdo. Si enim bona opera essent forma nostræ justificationis, sequeretur bona nostra opera potiores habere partes, & magis justificare, quàm ipsam remissionem peccatorum, & justitiæ **CHRISTI**

STI imputationem, quod absurdum esse tota Scriptura clamorat, tanquam cum In-  
signi blasphemiâ in preciosissimum CHRISTI meritum conjunctum.

114. *Forma enim omnis nostrae justificationis in duabus hisce partibus posita est, vi-*  
delicet in *remissione peccatorum & imputatione justitiae CHRISTI*. Nam uti corruptio-  
nis & impietatis, quâ homo peccator post lapsum laborat conditio, non unius est  
generis: sed gemina, prior *ἡλική*, injustitiam, & delictorum commissorum cri-  
mina continens: altera *σελική*, privatione justitiae, quâ nos excellere oportebat,  
constans: ita duplex *αὐλιφάρμακον* seu remedium in CHRISTO nobis para-  
tum est: *ἀφεσις* seu remissio peccatorum, & *λογισμὸς* seu imputatio justitiae  
CHRISTI. Illa priori nostrae conditioni, hæc posteriori medetur, Rom. 3. v. 25.  
& c. 5. v. 12.

115. *Ἀφεσις* verò, seu remissio peccatorum est, quâ DEUS omnium peccatorum  
reatum & pœnam credentibus propter CHRISTI satisfactionem non imputat; sed  
condonat, atq; eos in judicio suo absolvit, proindè ac si nunquam peccassent, ita ut  
in ipsius judicio ab omni reatu sint immunes. *Λογισμὸς* seu imputatio justitiae  
CHRISTI est, quâ DEUS meritum Filii sui credenti ita applicat, ac si à nobis ipsis il-  
lud præstitum esset.

116. Non igitur imaginaria aut umbratilis est justitia nostra, neq; DEUS homi-  
nem peccatorem sic justum reputando à judicii sui veritate, aut regulâ justitiae dis-  
cedit, quemadmodum falsò ex nostrâ doctrinâ Pontificii inferunt. Nam hoc DEI  
judicium, quod est ipsa justitiae regula, & summum rerum omnium principium  
non in nihilo recumbit: sed respectum habet obedientiae à CHRISTO præstitae, cujus  
meritum DEUS homini credenti imputat & applicat. Omnis autem obligatio tol-  
litur solutione ejus, quod debetur, sive is solvat qui debet, sive alius pro eo.

117. Ex quibus omnibus patet, toto cælo errare Romanenses, qui in Synodo  
Tridentinâ, addito diro anathematis fulmine, formam justitiae nostrae coram DEO,  
in renovatione mentis & inhærente charitatis habitu constituunt. Etsi enim ve-  
rum sit, quod in justificatione unâ cum fide detur Spiritus sanctus, qui naturam in-  
cipit renovare, interim tamen hæc duo insignia beneficia, nempè justificatio &  
& mentis renovatio non confundenda, sed accuratis limitibus sejungenda sunt: Ju-  
stificationis enim forma non consistit in renovatione: sed ut modò dictum, in pec-  
catorum remissione, & justitiae CHRISTI imputatione. Renovatio autem est illius  
effectus & consequens necessarium, quod ipsum tertium etiam argumentum no-  
bis suppeditat, ad Pontificiorum sententiam infringendam. Sic enim colligimus.

118. *Effectus nunquam est forma suae causae; quælibet enim res per suam formam*  
est, antequam agat.

*At qui bona opera sunt effectus fidei & justificationis; non enim præcedunt justifi-*  
candum, sed sequuntur justificatum.

Ergò bona opera non possunt esse forma justitiæ, sed potius contrà justitiæ fidei largitur formam bonis operibus, ut DEO sint grata & accepta, quia ceu boni fructus ex bonâ arbore: ita bona opera ex homine renato & per fidem justificato proveniunt.

119. Quintò, quòd bona opera non sint necessaria ad salutem apprehendendam, sub ratione cause instrumentalis, vel ex eo cuius manifestum esse potest, quòd tota sacra Scriptura ubiq; locorum nullum aliud ὄργανον ληπτικόν sive medium, quo justitiæ CHRISTI apprehendimus, & nobis applicamus, agnoscit, nisi solam & unicam fidem, Joh. 3. v. 6. Rom. 1. v. 17. & 5. v. 1. ideoq; 1. nullibi fidei, quo ad justificationis nostræ negotium, opera adjungit, quin potius 2. manifesta inter fidem & opera antithesi institutâ, opera nostra è circulo justificationis & salvationis penitus removeat, Rom. 3. v. 2. cap. 4. v. 5. Gal. 2. v. 16.

120. Ut enim fides hominem justificet, non necesse est, ut accedant opera: Sola enim fides est manus illa mendica, quam, DEO, beneficia Filij sui nobis ultrò offerenti, porrigimus. Justificat itaq; fides, non quatenus sibi adjuncta habet opera, neq; etiam quatenus est habitus internus, seu inhærens qualitas in nobis, utpote notitia & assensus in mente & fiducia in voluntate. Cum enim tantâ non sit, quanta esse debebat, idcirco nec severissimo DEI judicio opponi, nec meriti rationem habere potest: Sed quatenus proprium suum objectum CHRISTUM Mediatorem ac Redemptorem, & promissiones Evangelij de ipso factas amplectitur.

121. Sicuti enim annulus aureus magni æstimatur, non propter aurum, sed gemmam preciosam, quam in se continet: Sic fides dicitur justificare, non propter virtutem ipsam seu opus credentis: Sed gemmam, i. e. Filium DEI, quem apprehendit & sibi applicat.

122. Et quia solius fidei propria ἐνεργεια seu muneris functio in justificatione est, CHRISTUM apprehendere, & ejus meritum credenti applicare, idcirco rectè Ecclesia pronunciavit, solam fidem justificare, quæ exclusiva licet quo ad ipsas syllabas in Sacrà Scripturâ non extet: ratione sententiæ tamen divinarum literarum nititur autoritate & testimonio, uti præcedenti disputatione dictum fuit.

123. Habent quidem aliæ virtutes quoq; suas ἐνεργειας & operationes. Ita enim charitatis ἐνεργεια est diligere, & aliarum virtutum aliæ sunt operationes, δυνάμεις autem & facultate illâ apprehensivâ, quæ solius fidei propria est, bona renatorum opera ad unum omnia planè destituuntur.

124. Non est igitur, ut Jesuitæ bona opera fidei adjungant, neq; est, ut nugentur ideo solam fidem non justificare, quia non sit sola: Sed semper sibi conjunctam habeat charitatem, spem, timorem, & vitæ novitatem. Hæc enim, uti falsâ nituntur hypothesi, nempe hæc, ea, quæ sunt conjuncta conjunctim etiam agere: ita per se commentitia, & nullo Scripturæ & rationum subnixâ fulcro sua ipsius imbecillitate nullâ externâ vi commotâ facillè collabuntur.

125. An non enim mens in homine semper sibi adjunctam habet voluntatem, & alias facultates inferiores? sequitur, Ergò sola mens non intelligit: Sed per voluntatem intelligit? Minimè. Nam utut sunt facultates conjunctæ, tamen quia distinctæ & diversæ sunt, diversis etiam actionibus circa diversa objecta occupantur. Mente enim intelligimus τὰ νοητὰ, Voluntate volumus τὰ βεβλητὰ.

126. Neq;

126. Neq; etiam nostræ sententiæ quicquam adversatur Apostoli dictum, Gal. 5. v. 6. inquit: *Hanc esse fidem veram, quæ per charitatem efficax sit.* Non enim Apostolus eo loco docet, quomodo in justificationis actu fides sese habeat, aut quid *παθη-  
λικῶς* recipiat: Sed quid in sanctificationis exercitiis per charitatem *ἐνεργηλικῶς* præstet, ostendit. Non enim dicit, fidem per charitatem justificare: Sed fidem per eam *ἐνεργεῖν* seu operari.

127. Et sanè, quæ charitas fidem posset informare, cum hæc duo infinitis distent spaciis? Fides enim audit DEUM promittentem, Charitas DEUM præcipientem. Fidei objectum est, CHRISTUS Salvator. Charitatis verò, DEUS & proximus: Fides est quasi mendica. Charitas liberalis: Fides recipit. Charitas reddit: Fides efficit filios DEI. Charitas factos probat, atq; tales esse declarat.

Ex his omnibus promptum est colligere, neq; charitatem, neq; alia bona opera ad salutem apprehendendam esse necessaria.

128. Sextò, quòd bona opera non sint necessaria ad salutem nostram conservandam, tanquam causa retentiva nostræ salutis, sicuti quidam ex Pontificiis Doctoribus scribere haud sunt veriti, *Fidem initiò tantùm justitiã & salutem in CHRISTO apprehendere, postea vero officium suum operibus resignare, ut illa deinceps vitam & salutem conservent,* exindè liquet, quòd eadem sint productionis & conservationis causæ. Quemadmodum autem justitia nostra non est ex operibus ratione initiis sive collationis, ita quoq; illa non conservatur operibus nostris, quæ fidem salvificam non secus ac fructus arborem demum consequuntur.

129. Sicuti igitur boni fructus testimonium quidem perhibent de bonâ arbore, eandem tamen non retinent aut conservant, ut bona maneat, quin potiùs ex aliis causis naturalibus bonitas ejus alatur & nutriatur: Ita etiam bona opera justitiæ fidei luculentissimum perhibent testimonium; illam tamen sustentare aut conservare minimè possunt.

130. Hoc equidem ultrò largimur, quòd malis nostris operibus gratia DEI amittatur, meritum CHRISTI evacuetur, Spiritus Sanctus excutiatur, & fides deperdatur: interim tamen à contrario sensu non statim asserendum est, justitiã & salutem retineri per bona opera, sicuti per mala amittuntur. Contraria enim hoc loco non sunt paria. Mala enim opera sunt ex nobis, & sunt perfectè mala, Lege DEI severissimè prohibita. At verò bona opera non sunt ex nobis, sed à Spiritu Sancto, neq; sunt perfectè sed imperfectè bona, & peccati reliquiis contaminata. Ad justitiæ igitur conservationem nihil quicquam conferre possunt.

131. Causa igitur retentiva nostræ justitiæ & salutis nulla alia est, quàm gratia DEI, quæ uti per fidem acquiritur: ita etiam per fidem fovetur ac retinetur, Rom. 5. v. 2. cap. 11. v. 10. Col. 1. v. 22. 23. DEUS enim, qui cepit in nobis bonum opus, idem perficiet usq; ad diem CHRISTI. Gal. 2. v. 20. Virtute siquidem DEI custodimur per fidem in salutem, 1. Petr. 1. v. 5.

132. Septimò deniq; quòd bona opera non sint necessaria ad salutem aliquo saltem modo promovendam, sive ratione præsentia, seu ut causa sine quâ non, indè probatur, quia pugnat cum naturâ causæ sine qua non. Ejus enim indoles atq; proprietates hæc est, ut si non adsit, ejus impediatur effectus. Verùm nostrorum operum absentia per se non impedit DEUM, quo minùs justitiã per CHRISTUM ad salutem

nobis imputet: sed quando DEUS primò hominem justificat, nulla in eo invenit ad agendum opera, nullas ad conversionem vires, nulla ad gloriandum merita.

133. Deindè notum est, quòd omnis causa sine qua non, si non tempore, saltem naturà prior sit suo effectu. Sed bona opera non sunt priora; non enim præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum. Ergò justitiæ & salutis causa sine qua non esse non possunt.

134. Ex his igitur omnibus planum est cuivis ac perspicuum, actum nostræ coram DEO justificationis & salvationis opera minimè ingredi, adeoq; ad salutem minimè necessaria esse. Non est autem, ut quis à contrario sensu colligat, *si non sunt necessaria ad salutem. Ergò erunt noxia & pernitiosa.*

135. Malè enim colligitur ex accidente, ad id quod per se est. Ex accidente enim fit, quòd bona opera evadant noxia, quatenus nimirum vana fiducia contra expressum DEI verbum in iis collocatur, quo sanè sensu Apostolus ipse tali homini opera sua non tantùm inutilia, & ad salutem impedimento: verùm etiam perniciofa esse pronunciat, Phil. 3. v. 7. Interim tamen simpliciter & nudè asserere bona opera credentibus ad salutem esse perniciofa, falsum & offendiculi plenum est, quo omnis disciplinæ & morum honestas labefactatur, vitæq; dissolutæ & Epicuræ janua aperitur & confirmatur.

### C A P U T T E R T I U M.

#### *De necessitatis gradu.*

*Utrum bona opera sint debita & necessaria homini justificato? An verò libera & arbitraria, ita ut in hominis renati arbitrio positum sit, benè aut malè agere, quando ipsi visum fuerit, & nihilominus tamen fidem retineat, etiamsi in peccatis ex proposito perseveret?*

136. Ansam huic theoremati olim quidem præbuère, partim *Antinomi & Libertini*, qui cum docerent legem ad renatos non pertinere, simul *docuere doctrinam de necessitate bonorum operum in renatis penitè ex Ecclesiæ sinibus proscribendam esse*: partim etiam occasionem dedère *Anabaptistæ* contendentes, *renatos ita liberatos esse ab observatione Legis, ut quicquid internus animi motus ipsis dicitur, illud liberè a sint committere.* Quin imò plurimi ex illis eò progressi sunt audaciæ, ut blasphemio ore pronunciare non dubitarent, *se velle omnia sua opera unius grossi precio vendere.*

137. Quibus nostro hoc tempore hæc in parte vix saniores sunt, *Zbvinglio-Calviniani*, dum palàm scriptis suis affirmare non verentur, *fidem cum malis etiam operibus optimè posse consistere, adeoq; eos etiam homines, qui peccata contra conscientiam perpetrant, nihilominus Spiritum sanctum & fidem retinere.*

138. Nos hæresibus istis malè valere iussis, agemus tantùm de *Romanensibus sive Pontificiis*, quorum ea est petulantia & desultoria levitas, ut dum audiunt, negari in nostris Ecclesiis bonorum operum necessitatem ad salutem, protinus calumniantur, *Lutheranos docere, bona opera simpliciter justificatis non esse necessaria, sed vanà & nudà fidei persuasionem tumidos non tantùm laxationem disciplina, & confusionem rerum intollerabilem introducere: verùm etiam ad quamvis impietatem & petulantiam fenestram aperire latissimam,*



139. Nos criminationi & diabolicæ huic calumniæ maturè obviam euntes dicimur, & docemus bona quidem opera non esse necessaria *ad salutem*: interim tamen necessaria suo quodam modo, & respectu. Non quidem *necessitate coactionis simplicis vel absolutæ*, quasi vi quadam Legis à renatis extorqueantur, multò minus *necessitate meriti aut restitutionis ad salutem*: sed saltem *ratione ordinis, mandati atq; debiti*; vel etiam *necessitate consequentiæ*, quatenus bona opera fidem nostram tanquam fructus suam causam necessariò consequuntur.

140. Et hoc distinctionis temperamento adhibito, ipsa quoq; Scriptura utitur vocabulo necessitatis de operibus renatorum, Act. 15. v. 28. 29. *Necessum est* abstinere à fornicatione. Rom. 13. v. 5. *Necessum est* obedire Magistratui. 1. Cor. 9. v. 16. *Necessitas* mihi incumbit, ut Evangelizem.

141. Non dicam, quòd plurima æquipollentia vocabula in Scripturâ reperiuntur, qualia sunt, *oportet, debemus, debitores sumus* &c. Matth. 23. v. 23. *Oportet* hæc facere. Luc. 17. v. 10. *Fecimus quæ debuimus*. Act. 5. v. 29. *Oportet* DEO magis obedire, quàm hominibus. Rom. 8. v. 12. *Debitores sumus*, non ut secundum carnem, sed ut secundum Spiritum vivamus, Cap. 13. v. 8. Nemini quicquam *debeat*, nisi ut invicem vos diligatis.

142. Hæ & similes sententiæ, licet *καὶ χάρις* & secundum literam vocabulum *Neceffe* non habeant: æquipollentibus tamen ejusmodi ostendunt, propositionem hanc: *Bona opera sunt renatis necessaria, propter mandatum & voluntatem DEI*, non modò Scripturæ consentaneam: sed etiam omnibus modis retinendam, & in communi vitâ fidelissimè exprimendam esse.

143. *Necessitas* autem hæc triplici objecti nomine nobis incumbit. *Sive enim DEUM respicias*, bona opera vel maximè erunt necessaria, 1. ut gloria ejus solius illustretur, 1. Cor. 10. v. 31. 2. ut ei debita obedientia à nobis præstetur, cum ejus hæc sit voluntas & mandatum, ut in bonis ambulemus operibus, Psal. 119. v. 4. 2. Petr. 1. v. 13. 14. 15. 16. 3. ut grati simus pro Creationis, Redemptionis, Electionis, Justificationis, & aliis, quæ ab ipso accepimus, beneficiis quàm plurimis.

144. *Si verò proximum respicias*, bona opera renatis necessaria sunt, 1. ut exemplis officiisque nostris ædificemus fideles & infideles lucrifaciamus, Matth. 5. v. 16. 1. Petr. 2. v. 12. 1. Cor. 10. v. 33. 2. uti nulli simus noxi aut scandalum aliquod præbeamus. Matth. 18. v. 6. & seq. 1. Cor. 10. v. 32. 2. Cor. 6. v. 3.

145. *Si vero nos ipsos observemus*, facienda erunt bona opera, 1. ut iis fidem nostram vivam contestemur, & ex illis de eâ certi simus, Jac. 2. v. 17. & 26. *Quemadmodum enim Spiritus, quem homo vivus ex ore spirat, non causa, sed τεκμήριον* & indicium vitæ est: ita quoq; bona opera sunt *τεκμήρια* sive signa certissima fidei nostræ salvificæ.

146. 2. Ut ex iis certi simus, nos esse justificatos coram DEO, Jac. 2. v. 21. regeneratos per Spiritum sanctum, 3. Joh. v. 11. electos ad vitam & salutem, Act. 10. v. 35. 2. Petr. 1. v. 10.

147. 3. Ut obturemus ora calumniantium nos, tanquam sceleratos, 1. Pet. 2. v. 15.

148. 4. Ut spem nostram corroboremus, & vocationem nostram firmam faciamus, & tandem præmia, quæ benè operantibus promissa sunt, consequamur, Deut. 6. v. 2. Joh. 11. v. 26. Ebr. 11. v. 6.

149. Sunt itaq; bona opera & necessaria & libera. *Necessaria* quidem eo sensu & respectu, uti modò dictum est. *Libera* verò, non *libertate* sive licentiâ *carnali*, quasi in arbitratu nostro positum sit, benè vel malè agere ( hæc enim verè non esset libertas: Sed potiùs beluina quidvis agendi licentia ) sed *libera* sunt, *libertate spiri- tuis*, quatenus homo renatus obedientiam legi debitam, sine ullâ coactione libero & spontaneo præstat Spiritu, quæ etiam libertas optimè cum necessitate illâ consequentiæ, superiùs descriptâ, potest consistere.

150. *Faxit aternus DEUS, Pater Salvatoris nostri, JESU CHRISTI, ut in curriculo Sanctimonie & pietatis, honorumq;, operum studio non deficiamus: sed indi- es magis magisq; proficiamus, usq; ad illustrem diem adventûs Dominici, cui etiam cum Filio & Spiritu Sancto sit laus, & honor, & virtus, & gra- tiarum actio, nullis seculis finienda,*

A M E N.

F I N I S.







Fragment of a label on the spine, containing faint, illegible text.

Fragment of a label on the spine, containing faint, illegible text.







B.I.G.

Farbkarte #13



ogicae

13

VI.

cia, in Loco,

OPE.

S,

vato,

ore docente

e

m

siensi

o 1619.

T 162 (13)

INRICHIO,

Theol, Baccal.

bid.

R O, Boleslaviâ, Sil.

diofo.

LANCKISCH

